



Rekawowii Joannis: Quæstio metaphysica de  
essentia entium finitorum

Biblioteka Jagiellońska



stdr0001729

A. M. D. G.

Q V Æ S T I O  
M E T A P H Y S I C A

D E

59878-  
III

Essentia Entium Finitorum

*Ad mentem,*

D. THOMÆ DOCTORIS ANGELICI

*Sub felicibus auspicijs*



MAGNIFICI, PERILLVSTRIS ET ADMO-  
DVM REVERENDI DOMINI

D. A N D R E Æ

K V C H A R S K I,

S. Th: Doctoris & Professoris, Eccle-

siarum Cathedralis Crac: Canonici, Collegiatæ

SS. Omnium Præpositi, Contubernij Hie-

rosolymitani Prouisoris.

ALMÆ ACADEMIÆ CRAC:

GENERALIS RECTORIS.

A

M. JOANNE REKAWOWIC,

*Philosophiæ Doctore Collega minore.*

Publicè ad disputandum proposita

*In Peraugusto D.D. Theologorum Lectorio*

Anno Salutis M.DC. LXV. Die 4. Mensis Apr:

CRACOVIAE,

*In Officinâ apud Heredes STANISLAI BERTVTOWIC.*

# Q V Æ S T I O M E T A P H Y S I C A

V. Essentia in Entibus finitis, quæ constat gradibus Metaphysicis, & est distincta realiter ab Existentia, cum qua facit compositionem; ab æterno consistat in sola reali possibilitate, nec ne?

## CONCLUSIO PRIMA.

Essentia Entium finitorum constat ex pluralitate graduum ex quibus componitur metaphysicè.

### C O R O L L A R I A.

1. *Essentia prædicta sic composita, est unum per se.*
2. *Essentia finitorum Entium non est quid simplex.*
3. *Essentia tamen est simplex ratio, quæ indivisibiliter afficit omnes gradus essentia.*
4. *Gradus isti contenti in Essentia creaturarum, non sunt distincti realiter, sed per intellectum cum fundamento in re.*
5. *Per dictos gradus, intelliguntur hæc, non transcendentales; ut ratio Entis, veri, boni, &c. sed prædicamentales. s. generici, specifici, & differentiales.*

## CONCLUSIO SECUNDA.

Essentia in Entibus finitis realiter distinguitur ab existentia.

## C O R O L L A R I A.

1. *In Ente Infinito, s. Deo, essentia cum existentia identificantur realiter: & saltem virtualiter differunt.*
2. *In Intelligentijs autem essentia ab existentia realiter differunt.*
3. *Similiter in Accidentibus essentia non est idem cum existentia.*
4. *Est autem Essentia id quo aliquid est: existentia verò est actus ultimus & complementalis rei extra causas constitutæ.*
5. *Existentia non est Accidens prædicamentale: potest tamen dici prædicabile.*

## C O N C L U S I O T E R T I A.

Entia finita ex Essentia & Existentia, verè & realiter componuntur.

## C O R O L L A R I A.

1. *Essentia habet rationem potentiæ receptivæ: existentia verò rationem actus perficientis essentiam.*
2. *Existentia est pars componens perfectior, quam essentia.*
3. *Sicut Entia materialia; ita & spiritualia finita. v.g: Angeli, admittunt istam compositionem.*
4. *In Entibus tamen materialibus non sunt plures existentia partiales, sed unica totalis; quæ primariò totum compositum existit, secundariò verò partes illius.*
5. *Existentiæ causa effectiva proxima solus est Deus: creatura verò non nisi est instrumentalis.*

## C O N C L U S I O Q U A R T A.

Essentiæ finitorum Entium, ab æterno, ut præscindunt ab existentia, in sola reali possibilitate consistunt.

C O R O L L A R I A.

1. *Essentia Entium finitorum nullum habent esse reale actuale in se ipsis ab eterno, seclusa existentia.*
2. *Neque habent aliquod esse diminutum, medium inter esse reale & rationis.*
3. *Essentia dicta habent possibilitatem intrinsecè ex se ipsis; id est, quia ex se non implicant contradictionem: extrinsecè verò & principiativè ab intellectu Divino.*
4. *Essentia rerum possibilium ut præscindunt ab existentia, habent rationem veram Entis realis; prout differt à nihilo & Ente rationis.*
5. *Ens possibile formaliter & in recto significat illud Ens positivum, quod si produceretur in tempore, existeret.*



XX.2.2. XX.2.2.

Fragment of text from the adjacent page, including a decorative border and some illegible characters.

